

- Princeps, et cunctos compellat sic seniores  
 'Si gens tam fortis, cui nos simile nequimus,  
 Cessit Pannoniae, qua nos virtute putatis
- 60 Huic conferre manum et patriam defendere dulcem?  
 Est satius, pactum faciant censumque capessant.  
 Unica nata mihi est, quam tradere pro regione  
 Non dubito: tantum pergant qui foedera firment.'
- I**bant legati totis gladiis spoliati,  
 65 Hostibus insinuant, quod regis jussio mandat,  
 Ut cessent vastare rogant. Quos Attila ductor,  
 Ut solitus fuerat, blande suscepit, et inquit  
 'Foedera plus cupio, quam proelia mittere vulgo.  
 Pace quidem Huni malunt regnare, sed armis
- 70 Inviti feriunt, quos cernunt esse rebelles.  
 Rex ad nos veniens pacem det atque resumat.'
- E**xivit princeps, asportans innumeratos  
 Thesauros, pactumque ferit, natamque relinquit.  
 Pergit in exilium pulcherrima gemma parentum.
- 75 **P**ostquam complevit pactum, statuitque tributum,  
 Attila in occiduas promoverat agmina partes.  
 Namque Aquitanorum tunc Alphere regna tenebat  
 Quem sobolem sexus narrant habuisse virilis,  
 Nomine Waltharium, primaevo flore nitentem.
- 80 Nam jusjurandum Herricus et Alphere reges  
 Inter se dederant, pueros quod consociarent,  
 Cum primum tempus nubendi venerit illis.  
 Hic ubi cognovit, gentes has esse domatas,  
 Coeperat ingenti cordis trepidare pavore.
- 85 Nec jam spes fuerat saevis defendier armis.  
 'Quid cessemus' ait, 'si bella movere nequimus?'

58 simulare C. 59 uos C. quam nos A. 62 mihi quam B. I.  
 63 firmant B. 66 cessant B. 71 dextram det B. I. 73 reli-  
 quit A. I. 75 completum A. 78 sexus sobolem I. 81 ut I.